





NL 7<sup>8</sup>











1. Joannis Andree Historia de Polonia. In viis quibus Arce Regium  
transiit et Civibus Cracovianis quibus in die Ascensionis  
mini exhibetur, Bucolice & Carmine descripta.

2. Adami Schöthel de Finibus Memela Lithuanica Carmen Elegiacum.

3. Carolinarum Viti consuevit jucunda ac vera Descriptio Carmine Elegiaco.

4. Michaelis Grapowitsh: Nuda Fides an de Moscovitarum Frobore  
der Stadt Polok Ko in Esthonia, in Religionem gesetzt.

5. Beschreibung von Froboren Froboren

6. Valentin Schreiter: Chander sine Gratularum actio pro Institutione ad  
fiscu Schola Marianae.

7. Franz von Sprossum: Ich Froboren Beschreibung des Froboren Froboren  
Froboren, und der Beschaffenheit Froboren in Esthonia. 1602.

8. Marcina Paszkowitsh:ego Ukraina ad Tatar utrapidna,

9. Pogrom & Eukletia Wywolarow z yrom ad zonysh.

10. Edwardi Wagner Vita et Moris Lithuanorum sub dicti Chy Froboren

11. Elhunum Regis Polonia ad Literas Turcarum Imp. et Literas ad Mayan

12. Idipis abo Wiadomose pecora cu opacone novina Froboren udanie.

13. Relatio Historice Domini Palatin. Campiductoris Regis Pol. contra Duc. Sueron

14. An Amoti Krufi: Panegyricus Gustaviano Eliae de Nukrois

15. Henryka Chelkowskio: Nadzieia Pokoju Pruskiego

16. Historia Hiacynta Prusera kleinoz Miasta Krakowa, abo Kofiolz

17. Helma Regis Apologia ratione hujus quod fuerit misus pro Prusid

18. Beschreibung von Froboren Froboren des Froboren Froboren Froboren Froboren

19. In nomine in Europa et Africa motu de Americi Belle motu in Polonia

20. In nomine non abfotegung des Moscovitischen Froboren

21. In nomine in die Ciastlandischer Armee bey Wolowen an dem Mos

22. In nomine in die Ciastlandischer Armee bey Wolowen an dem Mos



4. Relation von dem großen Treffen dem General-Sapieka bei dem ...
5. Relation welche Gestalt der Vireytag genadelt 1687.
6. Relation was sich am die Jubel D. ... stand an der ...
7. Relation von dem ... die ...
8. Besondere Antagonisten der ...
9. ... die ...
10. Relation von der ...
11. ...
12. Relation von der ...
13. Continuation der ...
14. ...
15. ...
16. ...
17. ...
18. ...
19. ...
20. ...
21. ...
22. ...
23. ...
24. ...
25. ...
26. ...
27. ...
28. ...
29. ...
30. ...
31. ...
32. ...
33. ...
34. ...
35. ...
36. ...
37. ...
38. ...
39. ...
40. ...
41. ...
42. ...
43. ...
44. ...
45. ...
46. ...
47. ...
48. ...
49. ...
50. ...
51. ...
51. a. ...



~~IEq 899 1~~

# HISTORIA DE SO

LENNI CONVIVIO QVOD IN ARCE  
REGIOMONTANA SENATVIET CI  
VIBVS CNEIPHOVIANIS QVOT  
ANNIS IN DIE ASCENSIO  
NIS DOMINI EXHIBE  
TVR, BVCOLICO  
CARMINE DE  
SCRIPTA

*Conf. Relin' de  
hor' An' P. 1.  
p. 665. f. 99.  
869.*

A Iohanne Andrea Pomerano

Addita est Elegia Eobani Hefsi  
continens descriptionem Prussiae



In Academia Regimontis,  
Anno M D LII.  
mese Maio

F. J.

100  
100  
100  
100



E. XII 100 VII

In the year of the  
Anno M D LII

# AMPLISSIMIS ET

ORNATISSIMIS VIRIS DOMINO

Laurentio Vuedenhamero et Petro Glagauio

Consulibus, totiq; Senatui vrbis Cneip=

houianæ in Regiomonte Borus=

forum, Ioannes Andreas

Pomeranus:

S. D. P.

Inclyte iura tuis qui ciuibus æqua Senatus  
Das, et præscripto limite cuncta regis,  
Subiectosq; tibi iusto moderamine seruas,  
Protegis et certis legibus vrbis opes:  
Qui tam marte vales, quam gaudes munere pacis,  
Accipe bucolicis carmina facta modis,  
Ampla quibus vestri celebratur gloria ciuis,  
Cuius sunt forti parta trophœa manu,  
Cuius & emeruit virtus, vt in arce quotãnis  
Magnificus vobis exhibeatur honos,  
Si quid in his restat, quod nescia Musa reliquit,  
Non bene perfectum ceu decuisse queat,  
Tunc mihi in hoc veniã Patres tribuisse benignam,  
Vosq; volo ætati cedere multa meæ,  
Quæ mihi nunc desunt venient venientibus ãnis,  
Et (quod Diij faxint) carmine maior ero,

a ij

Quas

Quas hic præterij per tecta silentia laudes,  
Expandet fluxu diuitiore Dea.  
Si (quod spero) meū studiū, et nō tarda voluntas  
Hac in materia displicuisse nequit,  
Tunc mea, quod volui, ventis adiuta secundis,  
In tuto puppis se putat esse loco,  
Et procul optatum per nigras sæpe procellas,  
Intrauit portum fessa carina suum:  
Quæcūq; modò extendit Zephyris spirantibus aura  
Carbasa fluctuagæ sunt adimenda rati.  
Vos ergo nostræ qui commoda quæritis vrbis,  
Commisissacūq; Patres amplificatis opes:  
Qui quocūq; priuatis præfertis munera rebus  
Publica, queis æqui splendida iura placent,  
Vos commendo Deo, vestros qui dirigat actus  
Vt cum mente simul conuenienter cant:  
Et iam quam regitis vestro respublica Marte,  
Fœlici maneat florida tota statu,  
Sic vos, quæ veniet post sæcula multa iuuentus  
Ad nitidī cœli laudibus astra feret:  
Vestracūq; tam latum volitabit fama per orbem,  
Et capiēt laudes nomina digna suas,  
Vester honos veluti germen florebit in agris  
Quod pinguis multo fœnore reddit humus.  
Gentibus hinc multis fiet notissima virtus  
Vestracūq; per populum sæpe probata fides.  
Viuite nunc igitur concordī fœdere vincti,  
Perpetuo maneat tempore uester amor.

Nulla simultatum nocitura uenena lacesant  
Quæ sunt fructifera pectora plena fide,  
Sed pax et candor, pulchrè quibus hæctenus vsq̃  
Estis, in hoc uestro munere corda regat.  
His quando florent auctæ uirtutibus vrbes,  
Tunc custode uigent mænia cincta suo,  
Et non hostis erit portis metuendus ab altis  
Qui facili muros uincere marte queat:  
Hinc etiam ciues iucunda lege fruuntur,  
Quos ueluti fratres copula summa ligat:

Mense Nouembri Anno  
M D LI

HISTORIA DE SOLENNI CON-  
uiuio quod in arce Regiomontana Senatui &  
ciuibus Cneiphouianis quotannis in die as-  
censionis Domini exhibetur, Bucoli-  
co carmine descripta

A Iohanne Andrea Pomerano,

Forte per umbrosi pascebant iugera montis  
Pastores armenta duo Polycarpus et Aegon  
Nō pcul a lacubus, triplici qua Bregela lymphas  
Vortice per uirides herbas et prata coarctat.  
E quibus incipiens primos Polycarpus habebat  
Sermones, atq; ad vicinum talibus orsus,

Pol Aegon coge pecus sub opaci roboris umbram  
Sol etenim geminat radios, & duplicat æstum  
Et modo cuncta suo iuga rupta calore dehiscunt.

Aeg Quod Polycarpe iubes faciam, nec pmpt<sup>o</sup> in illo  
Ut tantum videar, faciam quæcunq; iubebis.

Pol Perge age mandatis nostris parere, nec vlla  
Fac mora te retrahat, quoniam res postulat ipsa,  
Sed prius ad liquidos, heus, fontes coge capellas,  
Ut sua iam potæ niuei vbera lactis abundant  
Vespere saltantes quando ad mulctralia tendunt,

Aeg Et vaccas etiam niueas ad flumina ducam,  
Voluere nanq; vides obtusis pabula malis,  
Quisq; boum pronus collectas ruminat herbas,

Nec



Nec vituli inueniunt quærentes vberē succum.  
Amplius, et sicca cum matre in gramīne ponunt  
Corpus, et instantem nequeunt perferre calorem.  
Sed dic quid fiet cum nostra armenta quiescunt  
Frondebis expansæ sub opaco frigore quercus?

Quod procul aspiciam, vastum cedem? ad antrū, Pol

Hinc in conspectu semper retinebimus ipsas,  
Si lupus in miseris vellet sæuire capellas.

Est locus acrius, quàm raro flamine venti  
Australes resonant, et suauia murmura miscent.

Et placet ille mihi, nec sedes aptior vsq̃ Aeg

Has inter corylos possit monstariet altas,  
Dic ergo viridi tunc quando iacemus in herba

Nonne ambo vacui tractabimus ocia curis? Pol

Instituemus ibi sacris certare Camænis

Atq̃ alternatim modulari carmen auena,

Quare age, si gratum est, Aegō tua fistula primas

Cantando absoluet partes, ego subsequar inde.

Incipe tu cantare prior, me doctior ipse, Aeg

Et multo senior quia me Polycarpe videris.

Me quoniam cogis sparso sub tegmine primū Pol

Vt canere incipiam plectro stridente camænas,

Perstringam breuiter tantæ quæ causa tumultus,

Qui modo per totam late dispergitur urbem

Quo rutilum Christus festo cōscendit olympum.

Quem penes est urbis moderandæ cura senatum,

Regna Borussia iustis qui protegit armis

Vt sint

Vt sint coniux Princeps inuitat ad aulam,  
Et pariter reliquos omnes accedere ciues,  
Inq; loco solito cumulum glomerantur in vnum,  
Sicut apes liquidi redeunt mellis onustæ,  
Magnificæ cænæ cum ferme tempus adesse  
Constat, vt in cuneis procedit martius ordo:  
Sic quoq; seruato procedunt ordine cuncti,  
Primaq; consulibus statio conceditur ipsis,  
Inde senatorum reliqui vestigia seruant,  
Dignior vt quisq; est post hos comitatur honore,  
Iamq; viros sequitur præeuntes densa caterua,  
Et se se in longum diffundunt agmina tractum.  
Cum prope iam celsam venerunt Principis arcem,  
Aula fremit resonans magno clangore tubarum,  
Raucaq; terribili pulsantur tympana motu,  
Non secus ac sæui canerentur classica belli,  
Accliuo augustam conscendunt tramite in aulam,  
Ornauere viam per strata uirentibus herbis,  
Et famuli arboreas statuerunt vndiq; frondes,  
Vt credas ferro totas cecidisse virentes  
Syluas ac veluti circum nemus omne vireret.  
Consulibusq; viris primum reuerentia dextræ  
Præstatur, gratumq; aduentum voce salutat  
A duce cui primo concessa est tanta potestas  
Absentis seruare viccs, arcemq; tueri.  
Hinc simul ascendunt excelsa palatia regum  
Instructasq; petunt mensas denso agmine ciues.

Hac

Hac lauta imponunt non segnes fercula mensæ,  
Illac, vt dominos obseruant ritè ministri.  
Parte vides alia miscentes pocula Bacchi,  
Illis voce canunt, implet pars altera nubes  
Murmure, pars alto strepitu ferit astra tubarum.  
Innumeros illic famulorum turba locauit  
Crateras, cyathosq; & crassi pocula Bacchi.  
Indulgent genio pariter iuuenesq; senesq;  
Viuitur hic lautè, patres tractantur amicè  
Quos sibi rectores legit sacer ordo senatus.  
Sublatis dapibus descendunt rursus in aula  
Admotis scamnis spacium, certantq; bibendo,  
Alter ad alterius proponit mutua poculum  
Verba suo socio, cõmutant plena vicissim  
Pocula, muneribus Cereris præsentis abundat  
Hic locus, et præstò est cunctarum copia rerum,  
Cum vero iam tempus adest discedere sellis,  
Et quantum satis est cū quisq; editq; bibitq;  
Quattuor horrendum de partibus æra sonabunt  
Arcis, et indicium conuiuiis redditur illo  
Tinnitu, vt cupidi magis addita pocula sumant,  
Et vacuent auido latices magis ore fluentes.  
Iam sed eũte domum, qua venerat ante, senatu,  
Voluitur en coctæ cereris vas munere plenum  
Ad portam, per quam decedunt ordine poti.  
Cantharus appolitusq; frequens spectatur ibidè,  
Proq; salute bibunt aulae, saturiq; vagantes

Se pede præcipitant, et ouantes brachia tollunt,  
Perçq; vias tremulo titubantes corpore multi  
Incedunt, proprios tetigit dum quisq; penates.

Aeg Mira quidẽ cantas, sed perge absoluerè pastor  
Quam modo capisti nobis connectere telam.  
Ambo sub rara recubamus vt arbore soli,  
Occupat et medijs spacium modò Phœbus olympi.  
Incipe me causam conuentus quæso docere  
Illius, et ratio quæ sit quod martius heros  
Subiectum populum Princeps inuitet, et illis  
Tam mitem sese dominum quòd præbeat, atq;  
Quod sua semper eis tam sit propensa voluntas.  
Num nouus aut etiam durarit tempore longo  
Ritus: et instituam pulchram de fronde coronam  
Nectere, quo solus meritus donabere dono.

Pol Est vetus, et multis durauit ritus ab annis,  
Durabitq; diu dum nos pascemus ad illud  
Flumen, dumq; feret salices, et robora tellus.  
Hæc etenim bellis cum Prussia tota flagraret,  
Omnibus atq; salus terræ ferè adempta fuisset,  
Vt sua barbaricæ gentes hic castra locarunt  
Ingenti numero populi, et victricia signa  
Ostentare suis manibus, vocemq; leuare  
Ad cælum rarò finem fecere, minasq;  
His intentabant quos vrbs claustra tenebant.  
Quiq; super muri bombardis turribus altis  
Constructi stabant iuuenes, hostemq; manentes.

Et sibi

Et sibi fingebant ceu fixa trophæa fuissent,  
Voce triumphantes, hodie moriemini ab hastis  
Exclamant omnes, nostris, scythicisq; sagittis.  
Hic erit ille dies, quem vobis trina sororum  
Numina disruptis calathis, filisq; resectis,  
Constituere parum fufos voluendo beatum.  
Spem vobis, animumq; simul metus acer ademit:

In manibus nostris estis, diffidite rebus:  
Ad nigrum fluumum sero cœnabitis orci  
Vespere, præbebit cum nobis hesperus ortū.  
Talia iactantes inter se sæpe superbe,  
Ignari sortis spernebant agmina magno  
Inflati stomacho, quæ mœnia celsa tenebant.  
Cumq; diu falsum secum cecinere triumphum,  
Ingeminabat lō miles certoq; putabat  
Se spoliū, laudemq; simul, palmamq; tenere.  
Iam iam dixerunt illa dominabimur arce:  
Sēq; salutabant ad singula verba tumentes  
Victores: imò hæc ad nos victoria spectat  
Hæc, aiunt, nostris incumbit prona lacertis.

Interea sed quid populus meditatur in vrbe  
Annē adeò tristes terror perrepserat artus:

Aeg

Consiliūq; duces (nēq; ferre diutius istos  
Fastus, et tantos hostis potuere tumultus)

Pol

Decernunt, patrijsq; student occurrere rebus.

Quisq; suo vigiles depromit pectore sensus,

Prospiciens patriæ: tandem concluditur illud:

Agmen vt egrediens vrbi prorumpat in hostem

Lectorum iuuenum: quos tardos curua senectus  
Effecit, debere hostem depellere muris,  
Hæc ubi lata fuit sententia, quilibet arma  
Arma vocat, tota passim concurretur urbe,  
Hic galeam imponit capiti, gladiumq; coruscum  
Accingit lateri, pars plurima corripit hastas  
Fraxineas, clypeumq; humeris suspendit apertis:  
Fulmineos iaculare globos pars altera tentat:  
Imponunt alij sua membra ferenda caballis  
Ornatis circum renitentia tempora plumis,  
Audacesq; simul nituntur abire per ipsas  
Portas, et plano signis succedere campo.  
Nec mora dant sonitum lituiq; tubæq; canoræ,  
Inuaduntq; suum magnis clamoribus hostem:  
Et superant calidi primo certamine multos,  
Complures adigunt etiam dare terga ruentes.

Aeg

Egregie certe patriæq; sibiq; iuuentus  
Contuluit, rabidum dum pellit moenibus hostem

Pol

Post ubi cessassent hominum de cæde crueta  
Errabant sparsi campis, et ab hoste vacantes,  
Nullus erat timor, et tractabant mollia castris  
Ocia, militibusq; inhiantibus alea lucrum,  
Distribuit multis, nec non sua dona Lyæus,  
Atq; ita segnitiam cum luce sequente fouebant:  
Adproperat nigrum subito insperantibus agmen,  
Vndiq; repletum penitus clamore virorum  
Aggrediturq; viros, fallentes tempus, inermes,

Inq;

Inq̄ fugam celerem trepidantia corpora vertit,  
Proculcatq̄ solo si quis se opponit in armis,  
Et male turbato fugientes ordine cædit.  
Et iam signiferi, et fluitantia signa iacebant  
Inter cæsorū prostrata cadauera campo,  
Tandem animo iuuenis feruens, robustus et audax  
Pro patria potius voluit se opponere letho,  
Et vitæ dubijs prius immiscere periclis,  
Quam fugere, et leuiter cæpta discedere pugna.  
Ensem dextra tenet nitidum, signumq̄ sinistra  
Subleuat, heu miserè scythicis modò foditur hastis  
Iam procumbit humo, rursus tolerantia firmat  
Corpus iam læuos iterum grassatur in hostes,  
Iam reuocat profugos comites, et fortiter vrget.  
Nunc leue vexillum tollit, modò dimicat ense,  
Iã rursus Scythicū capere arma hortatur in agmē,  
Hæus socij quò vos segnes modo tenditis, inquit,  
Sic ne fugam turpem petere, et subducere campo,  
Et sine tam facilem nunc cæde relinquere pugnam,  
An uos expertes illati vulneris esse,  
Et cupitis miscere ferum sine sanguine Martem?  
Sicne decet dulcis patriæ defendere muros?  
Aras atq̄ focos, et pinguia rura tueri?  
Sicne ducis nostri memores et foederis esse  
Conuenit? adiectamq̄ fidem præstare fugaces?  
Sicne capi patiemur agros, et moenia terræ  
Aequari, infensos atq̄ hic regnare Tyrannos?

Heus heus promissum socij seruate fideles,  
Ahne pudet socium sic deseruisse iacentem?  
Ante pedes vestros solumq; occumbere morti?  
Huc subito iuuenes celeres reflectite gressus,  
Audaciq; manu pariter prorumpite in hostem,  
Constantiq; animo duos tolerate labores.  
Pro patria pugnassee iuuat laribusq; paternis  
Fortiter: et potius moriendum quisq; putabit,  
Quam timidas matres sorberi faucibus hostis,  
Innocuumq; genus non cogi ad honesta puellas,  
Et dire infantes pueros in frustra secari.  
Perpetuum nobis pariet victoria nomen,  
Tarda q; posteritas iustum concedet honorem,  
Ventura hoc facinus cantabunt sacula nostrum:  
Fortibus hinc nobis honor, et laus summa manebit.  
Nam decus et virtus aduerso Marte paratur.  
Talibus admonuit: redeunt vbi desijt ipse  
Affari: in pigros fert maximus impetus hostes,  
Non aliter, q; si descendat ab æthere missus  
Imber, vbi subito finduntur fulmine nubes.  
Plurima per latum caduntur corpora campum,  
Pars iugulant gladijs, et pars hastilibus aruo  
Prosternunt, aties passim turbatur equorum  
Turmis, sulphurei rutilantis fulguris instar  
Iam per inane globi volitant: et sydera tangit  
Iam fragor, et summi feriuntur culmina cœli.  
Sanguis humi manat diffusus, et arua rigantur

Concr



Concrete tabo, fulciq; cruoris inundant.  
Semanimosq; iacent multi, pedibusq; resultant  
Attractis, animamq; simul cum sanguine pulchrã  
Profundunt, diro morientes vulnere tandem.  
Cumq; negata via est fugiendi pluribus, annis  
Ingentem numerum sorbente voragine merfit,  
Pascere quem circum nos sæpe armenta solemus.  
Tantaq; pugnando per agros est edita strages,  
Quanta lupo, quoties late disturbat ouile,  
Et miseros auidis haurit cum dentibus agnos  
Vnius et minimè contentus morte furorem  
Mittit, nec ventris fatiata cupido quiescit:  
Sed ruit in cunctos, detorto lumine donec  
Aspiciet nullum per pascua læua vagantem.

Res, veluti memoras, cessit feliciter illis.

At mihi cōmemora finito marte quid actum?

Victores facta redeunt ad mœnia pugna,

Aurea tollentes omnes ad sydera vocem,

Et quoq; pro tanto persoluunt munere grates,

Cœlitibus diuis, et iúbila læta canentes.

Vrbis vt intrarant fastigia sūma, triumphum

Acclamant reliqui ciues, qui turribus illos

Viderunt pugnare agiles, et cominus hasta,

Inquiruntq; duces, adeo quis strenuus armis

Opposuit sese, multis fugientibus, hosti:

Quæsitū pedites coguntur vera fateri,

Nec factum potuere alios cælare probandum

Pol

Aeg

Præst

Præstantis iuuenis, qui dignus solus honore  
Perpetuo, propter specimen virtutis honestum,  
His uero acceptis ductores omnia dona  
Pollicitantur ei, ut quæcunq; optaret, haberet:  
Non solî cupio tantum pensare laborem  
Nec mihi vos, inquit, fului dare præmia posco  
Auri, pars socijs debetur maxima facti,  
Nec virtute mea tantum perfecit in illo  
Dextera congressu, solus quo dignus haberer  
Proposito pretio, marti q; resistere campis  
Haud labor vnus est iuuenis, sed magna virorû  
Copia grassantem prostertere cogitur hostem.  
Si placet ergo, meis votis, precibulq; rogado,  
Ut mihi collegisq; meis tribuatis honorem,  
Instructisq; epulis conuiuia lauta quotannis,  
Adpositisq; cadis hac luce paretis in aula  
Principis, et qui sunt post sæcula multa futuri,  
Accipiant eadem, meritoq; fruantur eodem.

Aeg

Egregium factum primo quod flore iuuentæ  
Edidit haud vlllo iuuenis moriturus in æuo,  
Rebus in aduersis quo non constantior alter:  
Hei mihi quot propter patriæ tulit ille salutem  
Vulnera: quotq; lubens telorum sustinet ictus:  
Posset vt huic aliqua tantum ratione mederi  
Eximium fouit, cordatus pectore robur  
Quo rigidam sortis faciem contempsit iniquæ.  
Attamen hæc multo cunctis maioræ videri

Possunt

Possunt, quòd tantos valuit contemnere moriūs  
Turpis auaritiā, nec quòd fuit æris auarus,  
Ambitionis onus nec quòd sua pectora fregit,  
Hic sibi promissos quando aspernatur honores  
Participesq; sui socios iubet esse triumphī.

O dignum iuuenem virtutem propter olympos, Aeg  
Oppressæ tanto patriæ qui raptus amore,  
Expofuit sese meriti, vitæq; periclis.

Fare sed, vrbs altam num tota vocetur ad arcem,  
Quæ per circuitum triplici circumdata muro est,  
Nam vetus atq; noua est, et quæ se flectit ad ortū  
Tertia: quæq; tamen distincto nomine dicta.

Vrbs est, si nescis, Aegon, quæ vergit ad austrū Pol  
Bregela diuiso quam circum flumine claudit,  
Et rapido leuiter perstringit mœnia cursu.  
Flumineis ita cincta vadis, hæc insula dici  
Parua potest, natura loci quia munit ipsam  
Purpureis pratis, et flauis vndiq; lymphis.  
Portus vbiq; patet nautis venientibus alto  
Aequore, quoq; libet possunt firmare carinam  
Allatam, et varijs impletam mercibus, omni  
Ex regione suas huic merces institor addit:  
Huc aduectat opes præciosas Gallus, Iberus,  
Huius in vndoso perpeffus plurima ponto,  
Visitat opratos portus Hollandus ab vndis  
Occiduis veniens huc vela tumescere ventis  
Sæpe videt, subito superat cum cærule cursu:

C

Hic

Hic Pomeranus adest, hic Suecia, Danus & Angl<sup>9</sup>,  
Huc Russi, et Litauī præstantia munera mittunt,  
Quicquid Sarmatiæ nemorosus congerit oris  
Incola, quid gelido Liuonia frigore pressa  
Colligit, in portum Borea spirante secundo  
Aduhit, et quicquid producunt littora ponti.  
Illic quantus adest nitor, et quæ pulchra domorum  
Effigies, plateis latis quæ forma relucet?  
Ante alias quantum tollunt caput ardua syluas  
Robora, tantum alias inter quocumque prominet vrbes  
Marte togacumque valet, magna est reuerentia legum  
Plena viris, celebris propriarum munere frugum  
Hic sunt Aonijs quocumque tecta sacrata puellis,  
Quæ dulci resonant cantu fidibusque canoris,  
Vrbs ea tale decus valido sibi Marte parauit,  
Dum patriam hostili perituram liberat ense.

**Aeg** Heus satis est, suaues cecinit tua fistula cantus;  
Accipe promissam tibi nunc Polycarpe coronam,  
Hanc super impositam semper retinere capillis  
Te decet, et dices pastor mihi tradidit Aegon.

**Pol** Aegon coge pecus, quoniã modò claudit olimpũ  
Vesper, et adproperat stygijs nox humida tectis,  
Et circum tremulæ stridunt per prata cicadæ.

Finis.

HELII EOBANI HESSI AD MVTIA-  
NUM RVFVM ELEGIA PRVSSIAE  
DESCRIPTIONEM CON-  
TINENS:

Mittit ab æquoreo tibi littore Rufe salutem,  
Hessus amicitiae pars modò iusta tuae.  
Hic vbi Parrhasium uicinior aspicit axem  
Prussia, Hyperboreo semiperusta gelu:  
Hinc vbi Sarmaticum latus æquoris alluit orbem,  
Quod de Germanis nunc quoq; nomen habet.  
Hic tuus ille Hesus uiuit, quem sæpè probabas,  
Ludere ad auratam uerba canora chelym.  
Qui licet & tantis & tot regionibus absit,  
Nunquam non præsens est tamen ille tibi.  
Nam duo quæ ratio distantia corpora fecit,  
Hæc animos uinclo proximior ligat.  
Et loca si nullum simul in diuersa feratur  
Corpus, ad hoc animum uincula nulla ligant.  
Liber ut est, partes ita se dimittit in omnes,  
Quo nil mobilius maximus orbis habet.  
Non mare, non terræ, non astra, nec igneus æther,  
Clauditur huic, penetrat corpora, numen habet.  
Numen habet si se partem de semine cœli,  
Inclusam lutea sentiat esse domo.

Sentit, & ex istis ad te spatiatur arenis,  
Pars eadem nostri maxima, quando libet.  
Ergo & adhuc animo non deficiente valemus,  
Fortunæ dominæ cætera credidimus,  
Viuimus hic igitur non retróeuntibus astris,  
Vno te nobis posse carere graue est.  
Omnia præstiterit si te fortuna mihiq;  
Barbara quæ visa est patria terra foret.  
Hæc est Christiferæ regio Crucis vltima cultrix,  
Præter quam meritò Livo comose tenes.  
Regna dein seruant pharetrati proxima Rusi,  
Gens fera, sed nigræ sæpe subacta cruci.  
Prussia & insignis magno Liunia Christo,  
Sunt duo Teutonicæ subdita regna cruci.  
Parte orientalem quâ Prussia uergit in eorum,  
Liunorum gentes, & Lituana iacent.  
Proxima nimboris quæ flatibus irrigat auster,  
Mazouita & fortis rura Polonus arat.  
Occiduum Saxones habent latus, vnde remugit  
Hirsutus Boreas, Balthica stagna tenent.  
Prussia tam late terras possidet oras,  
Incluta, plena, potens, cultibus, ære, manu.  
Hanc cruce signatus nigra pallaq; niualis,  
Teutonicus partem sanguine miles habet.  
Scit uagus & magno fluuio par Vistula Rheno,  
Sanguine quem totum subrubuisse ferunt.  
Vistula Pannonijs oriens è montibus, omnem hanc  
Quam longa est, terram perluit anæ uago,

Inde vago lapsu magnum se condit in æquor,

Quod varijs totam flexibus ambit humum,

Hic etiam uario naturæ munere lætus,

Omnibus ad uictum rebus abundat ager,

Dum finit & melior cum sole reuertitur annus,

Has Cererem terras incoluisse putes.

Vsq; adeo plenis hos messibus aggrauat agros,

Vt queat hoc credi *Copia nata loco.*

*Copia Dea abundantia*

Horrea sæpe suo non sunt satis ampla colono,

Lataq; vix messis frugibus arua patent.

Est mare laudatæ lucrum munere gemmæ,

Germanus glessum, succina Roma vocat,

Sæpius hanc pueriq; legunt timidæq; puellæ,

Nec stupet à prima pes tamen udus aqua.

Est mare, sunt fluuij, sunt stagna immensa, lacusq;

Non magis est uario pisce superba Pharos.

Sunt & apum pulchris tenerarum examina syluis,

Qualia vix vnquam Sicelis Hybla tulit.

Sæpe illis, res mira, loci satis esse negatur,

Quo dulces possint accumulare fauos.

Sæpe sub arboribus molliq; in graminis herba,

Flaua laborifero poplite mella locant:

Conferat huc Rhodopen Panchæaq; rura Lyeus,

Nesciet inuentos se docuisse fauos.

Sunt nemora & saltus, sunt non deformia Tempe

Theffala cum fluuio dixeris esse suo.

Pinguibus alta feris stabula & venatio diues,

Mænalon oderit hic ipsa Diana suum.

Hic poteras spreta iuuenis Thesæ nouerca,  
Inocuos alio claudere sine dies,  
Quid loquar ingentem pecorū uim, qualia nūquā  
Armenta Arcadico germine pasta liquet,  
Qualia non unquam colles videre Lycæi,  
Non quamuis diues Delphice pastor eras,  
Maïor in argento nusquam nec largior usus,  
Vix tantum plumbi patria nostra tenet,  
Pocula crassa Ceres Acheloia miscet aristis,  
Hic bibitur nullo gratior orbe liquor.  
Aduhit huc etiam peregrinis uector ab oris,  
Per mare cum Rhodijs Cretia musta cadis,  
Deniq; ad humanos quicquid conuertitur usus,  
Hic velut ex cornu liberiore fluit.  
Sunt etiam præclaræ vrbes opibusq; superbæ,  
Vix habet his, mirum, Teutonis ora pares,  
In mare qua tacito demergitur Istula lapsu,  
Nobile Dantis cum littora prima tenet.  
Classib; hæc portus, domus inclyta mercib; hæc est  
Vrbs maris imperij parte beata sui.  
Altera diuitijs Monsregius, hanc quoq; ditat  
In mare uelifera Bregela uersus aqua.  
Hæc modò militiæ sedes est alta Magistri.  
Hoc in eo princeps ordine nomen habet.  
Structuris domuum reliquas Thuronia uincit,  
Pulchra quidem, sed non diues ut antè fuit.  
Hæc uetera excisæ uestigia continet arcis,  
Quam vagus undanti Vistula lambit aqua.



Præterea Elbingum reliquas imitata ruinas,  
Eximium captæ diruit arcis opus.  
Hinc Mariæburgū quondā dom' inclyta magnis  
Principibus, nullo crimine facta nocens,  
Sed tamen infœlix regi data serua Polono,  
Cum reliquis misere sed sine labe iacet.  
Vbere læta solo Noganum sita propter amœnū,  
Extracta in terris non habet arce parem.  
Non procul inde meis Rifeburgum nobile Musis  
Arx uetus in paruo condita colle iacet.  
Omnia quis referat? sed & hæc quæ pauca canebā  
Vix ea sunt minima parte relata mihi.  
Viuit in his igitur baculo qui primus agresti,  
Teutona Romanum duxit in arua gregem.  
At tu Rufe meæ formator prime iuuentæ,  
Per te uocalis debita fama lyræ.  
Quid facit amisso grex errabunda magistro?  
Quam timeo sæuos, monstra cruenta, lupos?  
Quid facit is merito cui pagina nostra dicata est?  
Hei mihi quam præceps nostra carina fuit.  
Quid mihi mentito Phileremus nomine dictus,  
Cessit? an in sacra ualle moratur adhuc?  
Quid Crotus ingenio plus quam florente beatus?  
Hærens principibus quid Spalatinus agit?  
Nobilis hunc animum Petrei cura relinquet,  
Cum flammæ glaciem, cum dabit vnda faces.  
Viuite delitiæ nostræ, dum uester amicus  
Longius a vobis quam decuisset abest.

Qui tamen ut uultis uiuereq; ualetq; uidetq;  
Quam non uobiscum uiuere triste nihil.  
Quem precor ut solita semper uirtute colatis,  
Ipse sub hoc etiam sydere uester erit.

FINIS